



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 5. Non tamen more hominum dißimulari à Deo hominum auaritiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

gratos, iniustitiâq; plenos? immò ipsis bonis in malum abutentes?

§. V.

Non tamen more hominum dissimulari à DEO hominum auaritiam.

Apud mortales sanè opulenti, licet maximè rei, plerumq; euadunt, vel quia iudices pecunia corrumpit, vel quia terret auctoritas; & certè, si possibile esset in diuites vindicta procedere, videres ex eis repleri carceres vniuersos, ait S. Chrysostomus, sed cum omnibus malis suis hoc malum habent diuitia, quòd in malignitate peccantes ab ultionibus eruunt. Apud omnipotentem autem iudicem, quem nihil latet, nihil terret, nulli diuites effugiunt pœnam quam meruerunt.

Peccatores persequitur malum: & iustis retribuentur bona. Bonus relinquit heredes filios, & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris.

Sic diuina æquitate Ægyptiorum diuitiæ translatae, diuq; per Ægyptios iniquissimè pressis datae sunt Israelitis: ac paulò antè iisdem Ægyptijs magnæ clades illatae sunt, & percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quae fuerunt in agris, ab homine usque ad iumentum: cunctamq; herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit. Quod

S. Chryf. in ep. ad Hebr. ser. 2.

Prou. 13. 21.

Exod. 9. 25.

rimen
area
orate.
am in
as de
icina
m ne
lustris
esque
bonis
& Ful
a ven
Clo
unta
erdi
ncen
m Li
hastæ
The
dole
pro
nines
& do
mili
. Et
ibus
c in
tos,

Matth. 8.
32.

& per locustas & per alias plagas fecit. In nouo quoque Testamento permittit Christus dæmonibus intrare in gregem porcorum, & ecce impetu abiit totus grex per præcepsum in mare, & mortui sunt in aquis. Ecce dator bonorum permittit hominum hosti ut tantum damnum inferret, gregem totum vno impetu perditum iret. Quid ita? Quia, ut ait Iansenius, Geraseni erant Israëlita, quibus lege prohibitum erat, carnes porcinae manducare; quare contra legem suam, & Dei voluntatem, gregem porcorum alebant.

Luc. 35.
14.

Iniustam igitur possessionem iuste dissipauit. Filio quoque prodigo, nonne profuit, quia cœpit egere? Idcirco enim in se reuersus dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam, & ibo ad patrem meum.* Quàm multi redeunt ad Deum, cum paupertatē sentiunt? Quàm multi, qui antea delicijs abundabant, neque ante, neque post prandia, aut cœnas dignati sunt benedictionem à Deo exorare, aut ei gratias agere? spoliati autem quanto nunc affectu dicunt: *Panem nostrum supersubstantialem, seu quotidianum, da nobis hodie?*

Matth.
6. 11.